



R. P. Thomæ Tamburini Ë Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

§. 1. Selecta de servis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

... sunt, siue hæc res sint usu consumptibiles, siue non;
et illud solum habere Sanctorum Pontificem post Mar-
tinum V. nam ex Nicolao IV. hæc res sunt usu consume-
biles dominium habebant ipsi fideles Dantes, do-
minium consumuerunt. Neque te conturbet horum Pontifi-
cum dissensio: quidem etiam in diversis placita possunt
esse circa res fidei. Sic Bell. lib. 4. de Summo Pont. cap. 3.
§. 5. lege c. a nob. 2. de excommunicatione, ubi se ut ho-
minem privatum errare posse fatetur: & circa res ad sta-
tum universalem Ecclesie pertinentes, quando hæc do-
minant ut Pontifices. Puta in Decretis morum in appro-
batione bene vivendi, in Canonizatione Sanctorum. Ita
Bell. lib. 4. & lib. 1. de Beatitudine, & Canonizatione. Ro-
mæ 1. 1. q. 8. §. 1. art. 4.

8. Respondeo nunc directè ad questionem: posse
separari. Ita Sol. in 4. de just. quest. 1. art. 1. Valent. ques-
t. 10. §. 1. Mol. tract. 2. d. 6. Suarez, t. 2. d. 28. §. 2. Less.
lib. 4. d. 8. Sanchez, lib. 7. summa, cap. 18. n. 3. innumeros
effert, contra Sylvest. v. Dominium quest. 2. Arag. q. 62.
& Domin. Caiet. 2. 2. quest. 78. art. 1. aliisque mox littera
D. Ratio autem separationis consistit in eo, quod, qui
habet dominium rei, potest illam quomodocunque
libere distrabere, vendere, destruere, alteri donare,
&c. de verò, qui eius usum dumtaxat habet, solum
potest illa re uti iuxta voluntatem Domini; seu depen-
dere à Domino; ita ut etiam dum panis, v. g. est in
manu Religiosi Franciscani, illum ad os admoventis,
potest Pontifex sine iniustitia contra Religionem, vel
Religionem Franciscanum; ab eo illum tollere. Simile
quid est in eo, qui invitatur ad convivium ab aliquo;
Dominus enim convivi, semper est Dominus ciborum,
sive sine iniustitia, esto, cum magna inurbanitate,
post ab invitato nondum acceptante auferre, donec
comantur: postea enim ex defectu materiæ jam de-
struatur, definit dominium. Simile quid etiam est in aliis
particularibus Religiosis aliarum Religionum: nam pro-
pter votum Pauperatis non possunt uti rebus pretio
estimabilibus, quamvis ipso usu consumptibilibus, nisi
dependent à voluntate sui Superioris. Religiosi ergo
qui differunt à Franciscanis, quod aliarum Religio-
num Communitates, seu Monasteria habent perfectum
dominium suarum rerum, à Fidelibus donatarum, siue
hæc sint usu consumptibiles, siue non; at Franciscana id
non habet, quia suarum omnium rerum Pontifex do-
minium retinet, unde fit, ut Religiosi aliarum Religio-
num utantur prædictis rebus dependentem immediatè à
suo Superiore, qui est legitimus administrator bonorum
Religionis: at Franciscana, dependentem immediatè à
Pontifice, qui est Dominus bonorum Religionis Fran-
ciscane.

9. Ex dictis fit primò, ut Religiosus particularis in
rebus unico actu consumptibilibus, quorum usus ipsi à
Superiore conceditur, non acquirit dominium, seu pro-
prietatem: cum enim usus à dominio separabilis sit, non
possunt dari utrumque, si usus detur. Scio multos Do-
ctores contrarium docere. Ita Caram. in Reg. S. Ben. nu-
mer. 87. i. citans Cenedum, Petrum de Arag. Turrecrema-
ram. Sylv. D. Antonin. Sarnientum: lege item Bassæum
in floribus pag. 256. nostram vocantem probabiliorē,
licet contrariam probabilem. Sed ego assentiri non
possum, quia claram video separabilitatem, quam nu-
mero præcedente explicui.

Corollarium pro Religiosis: circa acceptationem rerum.

10. Ex iisdem dictis fit secundò, ut quando Reli-
giosus particularis acceptat à seculari aliquid ad me-
um usum, v. g. gallinam ad comedendum, minoris ea
valeat, quam si accipiet absolute; vel quam ex se va-
leat absolute vendenda sit. Ratio est jam dicta, quia
minus usus facti, cum semper supponat in domino er-
roneæ perfectum dominium; multum diminuit de
pretio, cum possit à Domino semper repeti. Fac te
vendere gallinam Petro, sic: Vendo tibi hanc gallinam

ea conditione, ut etiam quando erit à te occisa, quando
jam cocta, quando ad mensam apposta, quando in manu
tua illam ad os admoventes, ego illam possim repetere; non-
ne Petrus propter hanc conditionem volet pretium galli-
næ diminui? Et licet sciret, se nunquam repetiturum; ta-
men non est negandum, aliquid tandem diminui de pre-
tione ex tanta potestate illam repetendi.

11. Hinc colligi posse videtur, quando aliquid ex re-
bus unico actu consumptibilibus datur Religioso, ma-
iorem quantitatem rei requiri ad peccatum mortale,
quam si detur absolute: quia res data ad solum usum,
minus valet, cum possit à Domino statim repeti. Puto
tamen, quando adest certitudo moralis, quod res nun-
quam sit repetenda, præsertim in his rebus ipso usu con-
sumptibilibus, de quibus postea nihil remanet, ad quod
possit Dominus ius habere; puto inquam, tam exiguum
esse pretij diminutionem, ut moraliter judicetur nihil
diminui: quando enim adest tanta certitudo, physica
illa, ut ita loquar, potestas se habet, ac si non esset, at-
que adeo non potest in morali estimatione aliquid de
pretio deducere.

12. Illam considerationem puto probabiliorē ac
tutiorē: Nam gallina, v. g. pluris valet viva, quam mor-
tua, pluris integra, quam in partes confecta. Dulciare
item integrum pluris æstimatur, quam incisum in frustu-
la, & sic de similibus. Poterit ergo Religiosus significare
seculari, ut is rem comestibilem dividat: nam sic ipse
Religiosus recipiet minus, quam si reciperet integram,
adeoque facilius poterit, si Superiōris venia careat, gra-
vitatem materiæ devitare. De qua vide inferius, tract. 2.
cap. 4. ut etiam de religioso invitato ad convivium, vide,
mox cap. 2. §. 5. num. 9.

CAPUT II.

Quinam dominium rerum habent,

Certè Deus, Angeli, Homines; De quibus vide Do-
ctores, apud Less. lib. 2. cap. 4. dub. 1. & passim. At
inter homines (quod ad nos facit dubitari solet. Primò,
de servis. Secundò, de filiis. Terriò, de uxoris. Quartò,
de Beneficiariis. Quintò, de Religiosis: quibus omnibus,
vel impeditum est dominium rerum temporalium, vel
tutum.

§. I. Selecta de servis.

1. Verè servi, propriè mancipia, nullo, ex legibus,
§. 1. insit de iis, qui juris, vel alieni sunt Mol.
tract. 2. d. 38. dominio gaudent, si de temporalibus bo-
nis agamus; nam ceterum vitæ, membrorum, hono-
risque dominium solum habent, ita ut Domini, si in his
sine offensione, sunt puniendi, perinde ac si liberos of-
fenderent: leg. 1. ff. de iis, qui sui iuris vel alieni sunt, &
inst. eod. tit. Dicitur l. c. m. 147. quia tamen leges, quæ
dominio temporalium servos privant, sunt usu ipso mi-
tigatæ: ideo ad sunt septem circiter Tituli, seu Casus,
quos jam à num. sequenti afferam, in quibus servi do-
minio rerum temporalium, etiam, in foro conscientie,
ex Mol. l. c. potiuntur, & ita potiuntur, ut si Domi-
nus eas, invito servo, contrectet, possit servus occultè
sibi compensare.

2. Primus Casus est: Si Dominus tacitè, vel expre-
sè consentiat, servum habere peculium.

3. Secundus: Si quid servo ita donetur, legeturve, ut
id ad Dominum non proveniat; Huiusmodi etiam vide-
tur, si detur ipsi aliquid, quo se possit redimere.

4. Tertius: Si quid servo relinquatur absolute id
est non intuitu Domini; ut, ob industriam, vel offi-
cium à servo alieni exhibitum. Ex quo colligo idem
debere dici, si quid relinquatur servo ob ejus amorem:
Idemque, si ejus Consanguinei longè distiti mittant
ipsi aliqua dona.

5. Quartus; Si seruo quid detur ob compensationem injuriæ, ipsi allatae.

6. Quintus; Si quid servus pecuniâ sui peculij lucratur ludo, sorte, negotiatione; quia lucrum induit rationem capitalis.

7. Sextus: Si quid sibi subtrahat ex his, quæ sine Domini incommodo poterat libere consumere vel expendere.

8. Septimus; Si quid acquirat faciendo alia opera, præter illa, quæ Dominus præscripsit.

Defenditur servorum mitigata conditio.

9. Caramuël, *Theol. Mor.* num. 386. ex his septem titulis, Primum duntaxat, id est, peculium à Domino concessum seruo cui eius lucro, ex negotiatione forte acquisito approbat, reprobat ceteros in hunc ferè modum: Nullus casus dabitur, ait, in quo aut servus, aut Religiosus (quin illorum status alteretur, & mitigetur) possit alicuius rei permanentis dominium acquirere. Sed huic propositioni adversatur Sanchez, (lib. 1. conf. 1. d. 1. n. 7.) quia licet inter servum, & Dominum, ut sic, non sit propriè iustitia nec contractus, est tamen inter Dominum, & servum, ut homo est. Nullum argumentum, quia sic liceret arguere: Aliquando Religiosus possit sibi proprietatem acquirere, vendere, emere, ducere uxorem, quia hac illi non repugnant, ut homo est, licet repugnet ut Religioso. Conjugata non potest nubere, ut Conjugata, sed ut Mulier; quod est ludere, ut ludit sensus compositus, & divisus in prædeterminantibus. Adde, si jura decernunt omnia servi acquiri Domino, unde & fratres esse incapaces dominij: quomodo potest, ut homo, acquirere? Esto, possit Dominus concedere illi dominium: sed tunc erit partialiter liber, non servus.

10. Adversatur secundo, quia si ea conditione (ait idem Sanchez) expressa vel tacita, bona sine ita donata seruo, ut is non acquirat Domino servus sibi acquirat. Contra; quia non prodest talis conditio; voluntas enim dantis non potest ficere incapacem servum, sicuti nec posset Religiosum: esto igitur, illa bona donata veluti vacent, & redeant ad Dominum.

11. Adversatur tertio: quia si ab amasio (inquit idem Sanchez) detur ancilla aliqua bona propter usum corporis, cum in hoc usu non subsistat ancilla Domino, ancilla erunt illa bona. Idem erit si propter injuriam acceptam fuerit det vulnerans pecuniam servo percusso, pecunia erit servi, siquidem membra servi sunt, non Domini. Sed contra tum quia idem esset in Religiosa: Cum enim usus corporis sit suus, & membra item sua sint; sibi acquireret, si quid propter similes causas acquireret. Hactenus ex Caramuële.

12. Sed acutissimi viri contra doctissimum Sanchez argumenta delati, meo quamvis pælagui calamo, facillè posse video ex eodem Caramuëlis principio: Nullus inquit dabitur casus, in quo servus (nisi eius status alteretur, & mitigetur) possit alicuius rei permanentis dominium acquirere. Huic principio sic adnecto minorem. Sed re ipsa servi status est illis septem casibus mitigatus, non autem status Religiosi: ergo non est mirum, si servus in iis casibus possit sibi acquirere, non verò Religiosus. Minor probatur ex Lessio, & Molina, qui viderunt certè servos ex jure esse omnino incapaces dominij, etiam in illis prædictis casibus; sed addunt tantum rigorem fuisse mitigatum. Proferatur Lessius lib. 1. cap. 4. num. 17. Notandum est, inquit, multos Doctores concedere servis verum, & perfectum dominium in plerisque casibus prædictis; eisque fieri veram injuriam, obligantem ad restitutionem, si Dominus res ipsas concessas auferat. Iura autem, quæ tradunt, servos, quidquid acquirunt, Domino acquirere, intelligenda regulariter, ita Molina d. 38. Posset etiam addi: jura illa consuetudine esse mitigata & hoc malum in praxi. Itaque posset servus uti occulta compensatione, si Dominus ei res suas abstulisset. Hæc Lessius. Si ergo militat in primo ca-

si mitigatio servitutis ex expressa Domini voluntate quod rectè concedit Caramuël, valbit in ceteris implicita ejusdem voluntate, quæ non potest nisi esse formis sanctis legibus, & legitimæ consuetudini. Ab enim servitutem mitigari, & res temporales aliis accipi posse, Communis est & trita doctrina.

13. Non ergo valet sequela Caramuëlis: Ergo Religiosus, ut homo acquirere proprietatem & possit conjugata, at Mulier, nubere, &c. non valet, inquit, quia servitus potest à voluntate Domini mitigari. Legitima consuetudine tam mitigata est; non vero mitigatus status Religiosæ paupertatis, quoad proprietatem; nisi forte in Scholasticis Societatis Iesu habitibus vota biennij, qui veri sunt Religiosi, & tamen continent, (licet sine usu independente à Superiore) rerum bonorum proprietatem; quod nunc non facit nos. Rufus nec status Conjugij mitigari potest. Dauid hi, qui possit à Conjugata, vivente viro, tollere, mitigare vinculum matrimonij; & dabo tibi illam nubere, &c. Quare non ludit Sanchez, dum dicit, ut Dominum, & servum, ut homo est, posse esse contractum iustitiæ; illud enim (ut homo est) significatur, ut est servus, quales non sunt ex Natura omnes homines, seu ex qua parte non est servus; sed sicuti ceteri homines.

14. Nec item valet: Ancilla acquirit sibi quicquid lucratur ex visceribus, vel ex satisfactione proprietatis juriam acceptam: ergo posset ex eisdem causis acquirere sibi pretium Monialis. Non valet, inquam: quia Monialis attingitur Voto Paupertatis, quo confectus est incapax dominij: at ancilla, stante illa juris mitigatione, capax est. Da Monialem, cui Pontifex summorum Paupertatis, quoad proprietatem dimittit, ut dimingere posse, affirmat Sperellus p. 1. dec. 1. num. 7. & ego concedam facillè, quod inferis.

Possit servi ab intestato defuncti cuiusnam sint?

15. Porro illud mihi singulare oblatum fuit nullius sterius. Mancipium cum ex legitimo suo peculio accedat, & consentiente Domino constabat collatum haberet in area ducentos aureos, moritur ab intestato nulla de his dispositione facta, nec ullis eius existentiis hæredibus. Quare non vulgaris controversia coortatur inter Fiscum Regium & inter Dominum servi, cuius illi ducenti aurei essent applicandi? Nec in foro extorret tantum, sed etiam in interiore quaesito fuit. An Dominus occultare eos posset, ut sibi, citra lites, facillè re negotio eisdem usurparet?

16. Et quidem Fiscus ita clamabat: Primum bona vacantia, id est, bona eorum, qui ex hac vita ab intestato discedunt, neque relinquunt hæredes, qui illis juxta litem Civilis præscriptum ab intestato succedant; eo ipso ex dispositione Iuris l. 1. §. ult. ff. de iure fisci, lib. 1. & l. vacante, C. de bonis vacant. lib. 10. & alibi (lege interim Molinam t. 1. d. 53. aliisque, & quod ego dicam tr. 4. c. 1. §. 1. a num. 12. hæc Regem devolvuntur. Sed pecunia, de qua agimus, est bonum vacans, ut iam supponitur: ergo ad Regem necessarii devolvitur.

17. Secundum: Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere possumus: At lex disponit omnia bona vacantia esse Regis: ergo non possumus nos distinguere, atque asserere legem loqui de liberorum bonis, non verò de bonis servorum.

18. Tertio: Ejusmodi peculium totum pertinebat ad servum: ergo nullo jure ad Dominum. Qua igitur ratione ipse se intermiscere in hac pecunia velit? Porro detur pauperibus ex præsumpta Defuncti Christiani voluntate. Hæc, & similia Fiscus.

19. Dominus verò in hunc ferè modum suas partes vehementius tuebatur: Primum, servus etiam sui peculij non habet perfectum dominium, sed solum imperfectum, ut scilicet illo possit uti, ac frui: At quoties illo non utitur, ad Dominum pertinet, quare in iustitia

§. III. *Selecta de Uxoribus, ex bonis Mariti aliquid usurpantibus.*

Pendent, quæ dicturi sumus ex cognitione modi, quo Matrimonium initum inter conjuges sit, De Jure communi ad sustentanda onera Matrimonij certum quid in dotem ab uxore datur Marito, cujus soli fructus, & administratio apud ipsum est, lege Mol. l. 2. d. 274. nam proprietates est uxoris, unde dissoluto matrimonio per mortem, vel legitimo intercedente divorcio, restituta est tota dos eidem uxori, vel ipsius heredi. Vir ergo tenetur uxorem alere, familiamque; Uxor vero tenetur familiam eandem gubernare juxta statum suum, atque ad præstare industriad, & opera uxoris proprias ad domus congruam administrationem. Quod si ipsa ulterius suâ industriâ, opere, labore, vel suo genio defraudans lucretur, sumum erit, non Mariti; sicuti etiam sua erunt à se domum allata præter dotem: sua erunt sibi donata: sua sibi relicta, vel legata, sua inquam, tum quoad dominium proprietatis, tum quoad usumfructum, tum quoad administrationem, nisi fortè ipsa velit horum administrationem Marito tradere, quam tradidisse censetur l. fin. C. de pacti conventis super dote, quoties expressè uxore uxori Maritum non excludit, lege Gravian. discept. § 14. n. 24.

Administrationem dico, nam ad exactionem debitorum uxoris requiritur speciale mandatum ejusdem uxoris, *cum marito C. de solutionibus*; & advertit Castillo *deci*; 36. n. 12. & Antonius de Martinis *Quod. resol.* 1.2.c.237. n.13. vel certe ejusdem ratificato, secus non erit debitor liber.

26. De Jure Lusitano, & Castellæ, qua ratione sive contractû medietatis bonorum, sive contractû Artharum, & dotis matrimonia celebrentur, & qua ratione acquisita Matrimonio constante, sint utriusque Conjugis, lege apud Molin. d. *diffus.* 274. Nobis juxta prædictum Jus Commune, quod esse universim quodque cultiores in Sicilia, ubi scribimus, ex pacto servant, & *alla greca* ad differentiam della *latina*, dicunt se contra-heredes hæc pactationa est.

3. Uxor ergo, si auferat ex fructibus dotis, vel etiam ex capitali, cujus ipsa est Domina, aliquid notabile, invito Marito, peccat mortaliter cum obligatione restitutionis: Ita Mol. Clavis Reg. aliquo passim apud Dicast. l. de iust. tr. 2. d. 9. dub. 8. n. 194. Ratio est perspicua, quia fructus sunt omnino mariti, & capitale, licet sit uxoris, & uxor tamen administrationem habet viri. In casu autem, quo ipsa peccasset, auferendo, sed constante Matrimonio, non haberet, unde restituere posset, excusaretur quidem ex impotentia, dum Matrimonium constat; at eo dissoluto, debebit, restituere ex ipso capitali, quo iam libero potietur: vel, si ea præmoriatur viro, ex bonis, qua ipsa possit dispendere.

nis quia ipsa punit et pōnere.

Sunt tamen multa capita *ibidem* ubi citantur, & alij, ex quibus exequatur saltem à mortali uxor bona conjugis ulurpans: Nam bonis propriis posse, ut ei libet, uti sine peccato, quia sua absolute sunt, non est dubium.

Primo, Si materia notabilis non sit, spectato statu, opibus, familia, & signatè, dote allata, de qua re iterum *inf. tr. 2. c. 3. n. 2. cum de furtis domesticorum.*

5. Secundò : Si vir rogatus concederet.

6 Tertiò: Si Proximus, cui ipsa porrigit, extremam pateretur, aut gravem necessitatem.

7. Quarto: Si faceret donationes liberales, & elemosynas secundum confuetudinem aliarum suarum conditionis Mulierum, etiam viro invito, quia absque ratione tunc invitus esset.

8. Quinto: si quid alicui daret, ad evitendum damnum temporale Mariti, nam tunc præsumitur adesse ejus voluntas, Quid ad averendum damnum ejusdem spirituale, ut si uxor daret elemosynam, quæ Deus Maritum converteret? Mol. *tr. 2.2. diff. 2.3.4. 11.2. negat*, concedit Less. *l.2. c. 1. n. 85.* sequens Navaliisque, utrumque probabile.

9 Sextò

§. 11. De filiis remissivè.

DE his multa dixi, & satis sint, in 4. *praecepto.*
lib. 5. cap. 4. §. 1. De furto corundem filiorum.
vide infra, tr. 2. c. 3.